

Rubrum, ut eam mitteret in Tharsis, in ita in illam curam et negotiationem societate cum Ochoziâ rege Israel, quæ classis longè dissimilem effectum sortita est; nam illam in ipso portu dira tempestas contrivit et absorbit.

De Tharsis multa variis in locis cogitant interpretes, quæ referre longum esset, et multò longius illorum cogitata refellere. Quod autem ad mare internum, seu Mediterraneum non debeat coarctari Tharsis, licet ad illud quoque pertineat, satis probat locus ex lib. 2 Paral. cap. 20, v. 36, ubi Josaphat adornasse classem dicitur, quam mitteret in Tharsis in Asiongaber, quæ est ad mare Rubrum, ut liquet ex lib. 2 Paral. cap. 8, v. 17, ubi Asiongaber ad oram esse traditur Rubri maris. Ex mari autem Rubro longa est, atque periculosa ad Mediterraneum mare, illiusque civitates, atque insulas, et importuna, atque adeò inutilis omninò navigatio. Est igitur Tharsis regio, quæ multò patet latius, quàm mare nostrum, aut regiones, quas ipsum circumfundit, et continet, autcludit, et abluit.

Quare placet, quod mihi olim visum est ad illud Isai. cap. 2: *Et super omnes naves Tharsis*, ubi diximus omne mare, ubicumque locorum fuerit, appellari Tharsis: quæ autem eo loco diximus, et huc transcribere non erit abs re, quia non minùs hic quàm illic necessaria sunt. Sic autem nos ibi: Diù à multis, ac sæpè quæsitum est, quid sit Tharsis. Ex nostris Ribera ad cap. 1 Jonæ, Josephus à Costa lib. 1, cap. 14, de novo Orbe, et novissimè Pineda in Salomone prævio, lib. 4, cap. 14. Mihi valdè probabile est Tharsis non esse civitatem aliquam, ut multi volunt, puta Tharsum Ciliciæ aut Thartessum in Hispaniâ, aut Carthaginem; sed mare, sic appellatum à colore cæruleo, sicut poetæ eandem ob causam cæruleum vocant. Virgil. 3 Æneid.:

Adnixi torquent spumas, et cærulea verrunt.

Certè non aliter vertunt Septuaginta, quod etiam aliquando facit noster interpres; Isai. cap. 25: *Uulate, naves maris*, et Ezech. cap. 1: *Visio maris*, Hebr. *Tharsis*. Neque video cur aliter tam sæpè in Scripturâ sacrâ naves Tharsis appellari debeant. Fieri sanè potuit, ut quia mare Ciliciæ proximum est Hebræis, et valdè notum, ubi Tharsus erat nobilis civitas, quodcumque aliud mare, non solùm Mediterraneum, sed etiam Oceanus dicatur Tharsis; id quod in aliis rebus non infrequens.

Nam ab eo quod nobis aut primùm, aut maxime notum est, nomen sæpè tribuimus iis, quæ ejusdem generis sunt. India à nobis communiter vocatur quæcumque regio antea incognita, valdèque ac longè dissita, quia ex incognitis longinquisque regionibus ea, quam Indus fluvius perluit, primùm explorata est. Et ab Hispanis Mahometani omnes, ubi gentium fuerint, Mauri vocantur, et quia ea pars Africæ Hispaniæ est propior, et quia à Mauritaniâ profecti, qui primùm Hispanis Mahometanæ perfidiæ sectatores cogniti sunt. Sic etiam videri potuit Tharsus Ciliciæ Hebræis cognita, aliis maritimis civitatibus nomen dedisse. Sed hæc de Tharso non admodum firma conjectura: sed in re valdè incertâ dicam, quod mihi propiùs videtur ad verisimilitudinem accedere; neque in aliorum sententiis aut commemorandis, aut refellendis tempus ludam.

Primùm existimo in *Tharsis*, aut mare, aut quod ad mare pertinet, intelligi, v. g., insulas, aut portus, aut marinas urbes, idque (ut credam) suadet, quia Tharsis cum navibus sæpè conjungi video.

Denique puto *Tharsis* non significare omnes insulas, aut tractus maritimos, sed eos, qui sunt in aliquo certo maris Mediterranei spatio. Quod ut ostendam, observo, qui primùm aut condiderunt, aut habitârunt aliquam regionem, illam suo notasse, aut quasi consignasse nomine. Exemplorum satis suppeditabit nobis Genes. c. 10, ubi, qui à Noe prognati sunt, in varias regiones disseminati, illis suum indidère nomen. Quare Persia dicta est Ælam, Æthiopia Chus, Ægyptus Misraim, et decem filii Chanaamtotidem provinciis in regione Chanaanitide à suis nominibus nomen imposuerunt. Idem constat Genes. cap. 25, de filiis Abrahæ ex Cethurâ, et filiis Ismaelis. Et in regionibus nuper trans Oceanum exploratis exempla obvia. Fretum Magallanicum, vallis Valdiviæ, etc. Ad eundem ergo modum mihi certum est filios Javan, Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim, suis consignasse nominibus eas regiones quas incolendas accepere à parente Javan, qui Græciam habitasse creditur; constans sententia est inditum esse nomen illi provinciæ, quæ Hebr. *Javan* dicitur, cui Græcè correspondere existimatur Ionia. Inter hos filios Javan distributæ dicuntur insulæ gentium. Sic enim Genes. cap. 10: *Filii Javan, Elisa et Tharsis, Cethim et Dodanim, ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis,*

unusquisque secundum linguam suam. Quæ cuique istorum insulæ contigerint, obscurum est, et conjecturæ dubiæ. Elisa et Dodanim quidam Rhodios esse putant; et sanè ita vertunt Septuaginta. Elisa Italiam vocat Chaldæus, et Rab. David in illud Ezechielis 27: *Purpura de insulis Elisa.* Hieronymus, et Theodoretus insulas esse putant maris Ionii et Græciæ. Et Josephus lib. 1 Antiq. c. 11, Æoliam scribit ab Elisa fuisse conditam. De his credo nihil dici posse certius: de Tharsis et Cethim, de quibus plus ex Scripturâ lucis habemus, aliquid nunc dicendum ampliùs.

Cethim Josephus supra Cyprum insulam facit, idque putat ex eo probabile videri, quia ibi urbs est nobilis, quæ Citium vocatur, Zenonis Stoicæ sectæ principis patria. Idem putat Hieronymus in cap. 25 Isai. et c. 2 Jerem., et Epiphanius hæres. 30, ex quâ dicit habitatores commigrasse in Macedoniam; et ideò in lib. 1 Mach. c. 1, de Cethim egressum dici Alexandrum Macedonem. Communiter hæc vox ab interpretibus Italia redditur. Num. 24: *Venient in trieribus de Italiâ*, Hebr. Cithim, et Daniel. 11. Ex his mihi fit verisimile insulas omnes, quæ à Cypro ad occidentale mare pertinent, ad Gades usque, adscriptas fuisse Cethim Javæ filio, et ab eo nomen accepisse, sive insulæ illæ ad Libycum, sive ad Italicum, sive etiam ad Græcum littus pertineant, et ab his insulis regiones illis adjacentes appellari Cethim. Nam filiis Javæ contigisse insulas ab Hebræis appellatas regiones, quæ sunt ultra mare, etiam à continentis non divisæ, quia ab illis non nisi in navibus ad Palæstinos erat appulsus, quod mihi non est improbabile.

De Tharsis, ut jam tandem ad id, quod est nostri negotii, perveniamus, sic puto dici posse non improbabiler, ut Cethim, Dodanim et Elisa sortiti sint insulas in aliis, atque aliis Mediterranei maris regionibus. Sic Tharsis illas esse sortitum, quæ à Cypro ad orientem solem et aquilonarem plagam spectant, maxime quæ vicinæ sunt Asiæ littoribus (nam ex orientalibus, aquilonaribusque plagis, id est, de extremis maris interni tractibus aliquot insulas obtinuisse Dodanim et Elisa, jam antea diximus). Et primùm quòd ad Tharsis spectet Cilicia, in quâ Tharsus nobilis, ac littoralis civitas sita est, docet Josephus lib. 1 Antiq. c. 12, Hier. q. 61 in Gen., et indicat non obscure illud Judith cap. 2, de Holoferne: *Cùm transisset, inquit, fines Assyriorum, venit ad montes Angæ, qui sunt à sinistro Ciliciæ;*

effregit autem civitatem opinatissimam Melolthi, prædavitque omnes filios Tharsis. Cujus loci explicationem habes 2 Mach. c. 4, ubi Tharsis cum Melolthi conjungitur. Sic enim ibi de Antiocho: *Contigit Tharsenses et Melolthas seditionem movere, eò quòd Antiochi regis concubinæ dono essent data: festinanter igitur rex venit sedare illos.* Et has urbes esse in Ciliciâ probat, quod statim subjungitur: *Regressum regem de Ciliciæ locis adierunt Judæi.* Partem verò illam Asiæ, quæ Syriam continet, et plagam illam, quæ non longè abest ab Assyriis, pertinere ad Tharsis, satis docet ille Holofernis cursus, qui Judith c. 2 describitur, ubi nationes quædam, quæ ad Asiæ littora, aut certè non procul à littoribus sitæ sunt, cum filiis Tharsis connumerantur. Accedit quòd Tyrus, quæ Isaiæ tempore nondum erat conjuncta continenti, filia dicitur Tharsis, Isai. c. 23. Nam ubi noster est, *filia maris*, Hebr. est, *filia Tharsis*. Ex quo fit Tharsis non esse Carthaginem, ut quidam volunt, quia, ut docet Plinius lib. 5, cap. 19, Tyrus Carthaginem genuit; quare Tyri Carthago filia, non contra Tyrus Carthaginis dici debuit, quod etiam Virgil. cecinit Æneid. 1:

*Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere colonam,
Carthago.*

Dicitur autem filia Tharsis, quia Tyrus insula erat ex earum numero, quas olim occupavit, et coluit Tharsis filius Javan. Neque Thartessum in Hispaniâ, quia hæc etiam filia Tyri est. De Gadibus certè, quæ vicinæ Thartesso, docent auctores neque pauci, neque ignobiles. Plinius supra; Pomponius Mela lib. 3, cap. 6; Solinus cap. 26. Et à Pœnis Gades dicuntur Tyriæ: cùmque Gadibus proxima sit Thartessum, et illa, quæ Medina Sidonia dicitur, credo has quoque Tyri ac Sidonis fuisse colonias.

Hanc partem Mediterranei maris, et littoralem tractum puto propriè vocatum fuisse Tharsis. Nihilominus existimo per synecdochicam regionem illam, in quâ insulæ essent, et portus Hebræis magis noti, sumi pro toto mari, sicut Indiam pro quacumque regione longinquâ, et Mauritaniam pro eâ quæ à Mahometanis ubicumque locorum occupatur, et, ut affini utamur exemplo, Pontum quodcumque vocant mare, qui pelago Pontico vicini sunt. Id firmat conjecturam, quia cùm Cilices, et Phœnices, ac Tyrii, quos ad insulas et plagam Tharsis pertinere diximus, latè toto Mediterraneo mari dominarentur, mare quod re-

giones illas abluit, aut insulas circumfundit, quod Syriacum, aut Phœnicium dicitur, obiciturque regioni Chanaanitidi, pro quocumque mari ab Hebræis usurpari potuit. Quam verò latè se olim diffuderit Cilicum dominatus, docet Solinus c. 41: « Ciliciam, inquit, si, « ut nunc est, loquamur, derogasse videbimur « fidei vetustatis; si terminos sequimur, quos « habuit olim, absolum est à contemplatione « rerum præsentium. Ergo inter utramque « culpam factum optimum est amborum tempo- « rum statum persequi. Cilicia antea usque ad « Pelusium Ægypti pertinebat, etc. Ex his, fit ut à Septuaginta semper, et à nostro non rarò interprete *Tharsis* transferatur *mare*, et quocumque aliud mare vocetur *Tharsis*, etiam Oceanus, quia aliorum marium nomina minùs Hebræis nota, neque audita, nisi perquam rarò. Quare Oceanus dicitur *Tharsis*, cum in *Tharsis* navigasse traditur classis Salomonis 3 Regum hic, et classis Josaphat 2 Paralip. 20, 36.

Ex hoc loco Isaiæ duo colligo: alterum est naves *Tharsis*, quia cum magnis, firmisque conferuntur, aut conjunguntur, quales sunt cedri Libani, quercus Basan, excelsi montes, turres elevatae, muri muniti, sumi pro magnis, benèque munitis atque constratis, quæque mare subeant vastum, ventisque frementibus obnoxium. Neque enim aptè conjungerentur cum his, quæ sive à naturâ, sive ab arte paululum habent firmitatis et roboris; dicuntur autem naves *Tharsis*, ut distinguantur à vasis, id est, phaselis papyri, quibus abundat Nilus, de quibus nos apud Isaiam pluribus c. 18, aut à navigiis piscatoriis, quorum magna vis est in stagno Genesareth, sicut à nobis naves indicæ, quibus Lusitani ad Orientem navigant, pro ingentibus benèque munitis usurpantur. Et eo sensu Ps. 47, dicitur: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. Ac si dicat propheta, naves etiam magnas, quales in mari Magno plurimæ, non satis habituras firmitatis contra infensam atque ultricem Domini manum. Alterum, eo tempore quo hæc vaticinatus est Isaias, et quo impletum est vaticinium, fuisse naves *Tharsis*, id est, magnas, quæ, ut olim, tempore Salomonis et Josaphat magnam auri vim in regium ærarium comportarunt, sic etiam regibus Juda longis post seculis convexerint easdem opes. Ut enim aliæ minæ intuentur urbem Solymitanam, atque ad illius splendorem et præsidium spectant, sic puto naves quoque *Tharsis*, quibus eadem intendatur minæ, eodè pertinere. Et ut illa,

quæ præcessere pulchra sunt, expugnatuque difficilia, sic etiam naves *Tharsis* pulchræ sunt, et quia contra vim tempestatum fabricatæ, non facilè vincuntur.

VERS. 25. — MAGNIFICATUS ERGO EST REX SALOMON SUPER OMNES REGES TERRE, DIVITIIS ET SAPIENTIA. Hæc omnia ad versum 26, obscura non sunt: tantum enim significatur Salomonem abundasse divitiis longè supra reges alios, qui eo tempore morabantur in terrâ, et illius ab omnibus, et super omnes maximè celebratam esse sapientiam, quam præsentibus omnes audire, et regiam faciem videre desiderabant: quodque illius sibi gratiam conciliarent, munera mittebant amplissima, sive ad usum, instructumque domesticum, sive ad alia pacis, bellique ministeria.

VERS. 26. — CONGREGAVITQUE SALOMON CURRUS ET EQUITES. De his actum est supra, v. 26, ubi etiam dictum est, ubi *hos* habuerit, atque aluerit equos, neque aliquid est quod hic addere necessarium sit.

VERS. 27. — FECITQUE UT TANTA ESSET ABUNDANTIA ARGENTI IN JERUSALEM, QUANTA ET LAPIDUM. Haud dubium quin hæc hyperbolicè dicantur, sicut alia plurima; neque enim aliud sibi volunt, quam argenti vim esse Hierosolymæ maximam; qui dicendi modus proverbialis est, sicut et illi, *sicut lutum platearum, sicut pulvis terræ, sicut arena maris, et similia*.

ET CEDRORUM PRÆBUIT MULTITUDINEM, SICUT SYCOMORORUM. Sycomorus arbor est Palestinæ familiaris, quorum multitudo ingens, et pro ædificiorum fabricâ vilis materia, quæ plebeiorum construebat domos, parum ad firmitatem et speciem idonea, usitata tamen, quia exiguo parabatur impendio. Sanè sycomororum vilem esse materiam, cedrorum verò speciosam et nobilem, habemus ex Isai. cap. 9, v. 10, qui materiæ deformi, ac futili firmam et speciosam opponit: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus*. Quasi dicant homines procaces et superbi, si lateritium opus, ex latere nempe crudo, aut inundatio diluat, aut hostilis catapultæ discutiatur, pro latere crudo, secta atque quadrata saxa reponenda; et si domus è fragili vilique sycomoro ædificata ceciderit, è cedrinâ reficiendam esse materiâ. Quid sit sycomorus, et quàm obvia passim in agro maximè Thebæano, diximus in nostris Commentariis super Arcs, ad illud c. 7, v. 14: *Vellicans sycomoros*.

VERS. 28. — ET EDUCEBANTUR EQUI SALOMON

DE ÆGYPTO ET DE COA; NEGOTIATORES ENIM REGIS EMEBANT DE COA, ET STATUTO PRETIO PERDUCEBANT (1). Hic miri sunt interpretes, et inter se ipsos variè dissecti. Quidam negotiatorem esse putant Salomonem, et de Ægypto et Coa exportasse equos minori pretio, ut ex illorum iteratâ venditione pretium augetet, et magna captaret ex illâ distractione compendia. Alii adhuc modum assignant, quo ex comportandis, negotiatonique expositis equis magna faciebat Salomon et quotidiana lucra. Cum enim ductâ Ægyptiâ conjugè affinitatem cum Ægyptiorum rege contraxisset, ab illo non difficilè impetravit, ne quis præter ipsum equos in regiones alias ex Ægypto transmitteret. Quare omne Ægyptium commercium aut præcipuam Ægyptii commercii materiam ad seipsum averterat Salomon, ex quo non poterat non esse propè immensum vectigal.

Mihi hæc probari nunquam potuerunt: neque enim puto aut Salomonem sic esse animo abjecto et sordido, ut illud negotiationis genus institueret, aut Ægyptiorum regem ita fore facilem in illo quasi monopolio concedendo, ut magno se ac suos quæstu privaret, et fini-

(1) Bochartus aliter exponit; *Mikoa* enim de tributo accipiens, textum ita reddit: *Educebantur equi ex Ægypto Salomoni; tributa verò ejus publicani excipiebant, ad certum pretium, de quo cum Pharaone convenerat*. Rex Ægypti vetabat, ne è regione suâ equi educerentur, nisi certo vectigali soluto, quâ de re Salomon cum Pharaone convenerat. Statutum erat, ut pro singulis quatuor equorum bigis solveretur tributum sexcentorum siclorum, vel centum quinquaginta siclorum in equos singulos, quæ summa libras nostrates 245 et solidos duos æquat; atque ita Salomon equos, quotquot volebat sibi ex Ægypto comparabat, eâ solutâ, de quâ convenerat, multâ. Seu potius Salomon instituerat vectigal pro equis et telâ, quæ ex Ægypto in Syriam et vicinas provincias afferebantur. Constituerat Salomon publicanos suos, qui ea vectigalia pro ingressu exigent, ingenti ærarii sui compendio. Hæc optima omnium in re præsentem esse judicamus.

(Calmet.)

« L'Égypte ne nourrissait guère de chevaux, dit Voltaire; que ne les faisait-il (Salomon) venir d'Arabie et de Perse? Ne savait-il pas que la plupart des chevaux d'Égypte deviennent tous aveugles en peu de temps? La plupart... tous. Voltaire ignorait sans doute la cause des maladies des yeux auxquelles les hommes ainsi que les chevaux sont sujets en Égypte. Elles proviennent d'un sable très-fin, mais très-brûlant, que certains vents soulèvent. Ce sable, porté dans les yeux, fait perdre la vue à la longue, si l'on ne prend bien des précautions. Les chevaux que Salomon faisait acheter jeunes en Égypte n'avaient point encore ces accidents; transplantés en Palestine, ils n'y étaient plus exposés. (Dielot.)

timorum regum in se provocaret odium, et conflaret invidiam. Neque alii reges tam amarent, observarentque Salomonem, illumque essent quotidie ita prosecuti muneribus, si vilis illius lucri captatorem agnoscerent, et sibi in re usque adeò necessariâ fuisse in causâ, ut aliquid in eâ mercaturâ damnum contraxerint.

Quare nihil aliud hic significari puto, quam ex Ægypto et Coa emisse sibi Salomonem equos, non quos deinde haberet venales, ut augetet pretium, sed ut sibi rei publicæ de re ad militares et plures alios usus necessariâ provideret. Neque enim aliam ob causam existimo equorum ex Ægypto et Coa fieri mentionem hoc loco, nisi ut ostendatur, undenam Salomon tot equorum, tamque numerosos greges congregare potuerit. Cum enim in Israëlide terrâ, ad illud saltem tempus, pauci nutrierentur equi, necesse fuit, ut aliunde Salomon illos accerseret. Non tam igitur rex sibi ex equorum negotiatione lucrum, quam equos sibi ex alienarum regionum pabulis quærebat. Fuisse autem in Ægypto plurimos et generosos equos indicat illud Cant. 1: *Equitatu meo in curribus Pharaonis*. Cumque non procul esset Ægyptus à Syriâ, inde potius sumpsit, quam ex Hispaniâ, ubi equorum præcipua laus, aut ex aliis regionibus transmarinis, quia inde sine magno labore atque impendio exportari non poterant.

De Coa res est dubia, neque planè certum, an hoc nomen commune sit, aut proprium, civitatisne, aut provinciæ; quidam commune putant, et significare tenuissimum linum, qualis byssus est, et telæ aliæ pellucidæ, quibus puellæ elegantes et lautæ in deliciis utuntur. Quod ideò sibi persuadent, quia ubi Vulgatus de Coa, Hebr. est *micuah*, quod inter alia filum valet, aut netum. Et ita cum Hebræis omnes recentiores convertunt et accipiunt. Pagninus, Vatablus, Isidorus, Tigurina et Regia. Duas ego vidi translationes Hispanicæ, quarum altera legit: *Esacavam los cavallos de Salomon de Ægypto, e madegas de sirgo*. Altera: *El salir de los cavallos del rey Salomon de Ægypto, de el hilado de lana de ellos mercaderes del rey Ca*. Hæc fortassis lina, aut textus tenuissimi sunt, qui à Latinis appellantur Coa, aut vestes Coæ, de quibus Tibullus lib. 2, Eleg. 3:

Illâ gerat vestes tenues, quas femina Coa

Texiit, auratas disposuitque vias;

Quas vestes vitreas appellat Varro, quia impuncto non sunt, quò minùs interiora, quas

nuda forent, oculis appareant. Nuda certè appellat Horatius lib. 1, quæ eo velamine teguntur.

Altera nil obstat Cois tibi; penè videre est Ut nudam.

Sed mihi sensus est magis expeditus et planè obvius, allatos esse Salomoni equos ex Ægypto et Coa, tum quia id primùm offert vulgata translatio; tum quia præterea non apparet hic gravis ulla ratio, propter quam tenuium harum vestium historicus sacer meminisse debuerit. Sed ubi gentium sit Coa, prorsus ignotum. Abulensis q. 15, insulam esse putat in Græciâ, ex quâ in navibus in Hierosolymam transportarentur equi. Nec deest, qui putet esse Goam Lusitanici imperii in Oriente caput. Sed sanè difficilis esset et sumptuosa vectura, è regionibus illis usque adè remotis. Quare regionem esse opinor vicinam Palæstino cælo: quæ tamen illa sit, apud probatum aliquem auctorem non invenio; aliorum cogitationes video, à quibus referendis absteo, quia neque in antiquitate fundamentum cerno, neque divinare libet in re, cujus vel tenue vestigium non apparet.

VERS. 29. — EGREDIEBATUR AUTEM QUADRIGA EX ÆGYPTO SEXCENTIS SICLIS ARGENTI, ET EQUUS CENTUM QUINQUAGINTA. Hoc erat pretium, quod pro singulis equis pendebat Salomon, centum videlicet, et quinquaginta siclos, quæ summa replicata quater sexcentos efficiebat argenti siclos, quibus singulæ emebantur quadrigæ, id est, equi quaterni, qui ad unum jugum adigebantur; sumitur enim quadriga pro equorum numero, quibus ipsa trahitur, idque apud Latinos non rarè. Columel. lib. 3, 6: « Unde sacrorum certaminum studiosi perniciosissimarum quadrigarum semina diligenti observatione custodiunt, et spem futurarum concipiunt victoriarum, propagata sobole generosi »

CAPUT XI.

1. Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, et Moabitidas et Ammonitidas, Idumæas, et Sidonias, et Hethæas,

2. De gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore;

3. Fueruntque ei uxores quasi reginæ

« armenti. » Neque novum est apud Latinos, ut jugum unum pro duobus sumatur equis, aut bobus, quia jugum unum duo subeunt; et equi dicantur bijuges, aut quadrijuges, licet nunquam sub jugum coacti, aut soluti fuerant à jugo, quia illi ad jugum unum destinati sunt. Quare non emebatur sexcentis siclis currus simul cum quatuor equis; sed quatuor tantùm equi pro uno jugo, aut unâ quadrigâ trahendâ.

ATQUE IN HUNC MODUM CUNCTI REGES HETHÆORUM (1) ET SYRIÆ EQUOS VENUNDABANT. Eodem pretio, quo ex Ægypto exportabantur equi, accersebantur etiam ex Syriâ, et Hethæorum regione, quos, qui in eo loco principes erant, eadem conditione venundabant. Ex quo quis intelliget non esse ex Ægypto equos ad Salomonem adductos, ut rursus exponeret venales, et quæstuarium artem exerceret, quando à vicinis populis emebat, quibus potius impenderet, quàm ab illis acciperet ignobile illud et mercatorium lucrum. Hoc clariùs lib. 2 Par. c. 1, v. 17: *Similiter de universis regnis Hethæorum, et à regibus Syriæ emptio celebrabatur.*

(1) Sed quæ regio hæc Hethæorum? Scimus utique, Hethæos olim, regionem terræ promissæ tenentes, è sedibus suis depulsos fuisse; quare nullus ex eâ gente rex esse poterat, præsertim sub Salomone, qui Chananæorum reliquias omnes in servitutem redegerat. Legimus in libro Judicum 1, 26, virum quemdam è Bethel sese recepisse in regionem Hethæorum, ibique condidisse urbem Luzam, eandem faciliè cum *Lusa*, vel *Lussa* in Arabiâ. Maluerim ego tamen, Hethæos istos et Syros constituere in Syriâ, ultra Libanum. Chananæos nonnullos Coelesyriam tenuisse constat; qui faciliè genus referebant ex Hethæis, parebantque regibus suis, tributo obnoxii, et subditis Salomoni. Porrò ii reges equos eadem lege, ac Pharaon vendebant. Adjunxerat sibi rex Salomon uxores Hethæas, ut ex capite sequenti constat; et sub Joramo rege Israelis, reges erant Hethæi, validi, et regibus Syriæ infesti. (Calmet.)

CHAPITRE XI.

1. Cependant leroi Salomon aima passionnément plusieurs femmes étrangères, outre la fille de Pharaon, des femmes de Moab et d'Ammon, des femmes d'Idumée, de Sidon et du pays des Héthéens,

2. Qui étaient toutes des nations dont le Seigneur avait dit aux enfants d'Israël: Vous ne prendrez point pour vous des femmes de ces pays-là, et vos filles n'en épouseront point des hommes; car ils vous pervertiront le cœur très-certainement, pour vous faire adorer leurs dieux. Salomon s'attacha donc à ces femmes d'un ardent amour.

septingentæ et concubinæ trecentæ. Et averterunt mulieres cor ejus:

4. Cùmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos; nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus;

5. Sed colebat Salomon Astarthen, deam Sidoniorum, et Moloch, idolum Ammonitarum.

6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, et non adimplevit ut sequeretur Dominum sicut David pater ejus.

7. Tunc ædificavit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch, idolo filiorum Ammon;

8. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura et immolabant diis suis.

9. Igitur iratus est Dominus Salomoni quòd aversa esset mens ejus à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundò,

10. Et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, et non custodivit quæ mandavit ei Dominus.

11. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum et præcepta mea quæ mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo.

12. Verùm tamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum; de manu filii tui scindam illud.

13. Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum et Jerusalem, quam elegi.

14. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni Adad Idumæum, de semine regio qui erat in Edom.

15. Cùm enim esset David in Idumæâ, et ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, et occidisset omne masculinum in Idumæâ,

16. (Sex enim mensibus ibi moratus est Joab et omnis Israel, donec interiret omne masculinum in Idumæâ),

17. Fugit Adad ipse, et viri Idumæi de

3. Et il eut sept cents femmes qui étaient comme des reines, et trois cents qui étaient comme ses concubines. Et les femmes lui pervertirent le cœur.

4. Il était déjà vieux lorsque les femmes lui corrompirent le cœur pour lui faire suivre des dieux étrangers; et dans son âge avancé son cœur n'était point parfait devant le Seigneur, son Dieu, comme avait été le cœur de David, son père.

5. Mais Salomon adorait Astarthé, déesse des Sidoniens, et Moloch, l'idole des Ammonites

6. Et Salomon fit ce qui n'était point agréable au Seigneur, et ne suivit point le Seigneur parfaitement, comme avait fait David, son père;

7. Car, en ce même temps, Salomon bâtit un temple à Chamos, idole des Moabites, sur la montagne qui était vis-à-vis de Jérusalem, et à Moloch, l'idole des enfants d'Ammon.

8. Et il fit la même chose pour toutes ses femmes étrangères, qui brûlaient de l'encens et sacrifiaient à leurs dieux.

9. Le Seigneur se mit donc en colère contre Salomon de ce que son esprit s'était détourné du Seigneur, Dieu d'Israël, qui lui avait apparu par deux fois,

10. Et lui avait défendu expressément de suivre les dieux étrangers; et de ce qu'il n'avait point gardé ce que le Seigneur lui avait commandé.

11. Le Seigneur dit donc à Salomon: Puisque vous avez agi ainsi, et que vous n'avez point gardé mon alliance et les commandements que je vous avais faits, je déchirerai et diviserai votre royaume, et je le donnerai à l'un de vos serviteurs.

12. Je ne le ferai pas néanmoins pendant votre vie, à cause de David, votre père, mais je le diviserai lorsque le royaume sera entre les mains de votre fils.

13. Je ne lui ôterai cependant pas le royaume tout entier; mais j'en donnerai une tribu à votre fils, à cause de David, mon serviteur, et de Jérusalem, que j'ai choisie.

14. Or, le Seigneur suscita pour ennemi à Salomon, Adad, Iduméen, de la race royale, qui était dans Edom.

15. Car, lorsque David était dans l'Idumée, Joab, général de son armée, y vint pour ensevelir ceux qui avaient été tués, et pour tuer tous les mâles dans l'Idumée.

16. Et il y resta six mois avec toute l'armée